

re, quod promurale sinus sit Patris, in quo positus unigenitus filius enarrat omnia, & enunciat Ecclesie sue quaecumque in secretis, & in absconditis patris sinibus continentur. Unde & quidam ab eo edoctus dicebat: Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Dei filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Illuc ergo evocat sponsam suam Christus: ut & de omnibus eam quae apud patrem habentur edoceat, & dicat: Quia omnia vobis nota feci, quae audivi à patre meo: & ut iterum dicat: Pater, volo ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, & vineas nostrae florebunt. Secundum dramatis ordinem mutata est persona: non enim jam ad sponsam, sed ad sodales loquitur sponsus: & ipse dicit, ut capiant vulpes pusillas, quae insidiantur vineis, ubi primum germen ostenderit, nec sinunt eas pervenire ad florem. Capi ergo eas praecipit, saluti & utilitati consulens vinearum. Sed haec ut copimus spiritali expositione discutienda sunt. Et puto quod si de anima haec quae se verbo Dei conjungit ad veritas, vulpes contrariae potestates, & nequitiae demonum intelligi debeant, per cogitationes pravas & intelligentiam perverfam, exterminantes in anima virtutum florem, & fructum fidei perimentes. Provisio igitur verbi Dei, qui est Dominus virtutum, mandata angelis suis qui ad ministerium missi sunt propter eos, qui haec ad veritatem capiunt salutis: ut capiant ex unaquaque anima hujusmodi cogitationes à daemonibus immixtas, ut abjectis eis possint florem virtutis afferre. Capiunt autem cogitationes malas in eo, cum suggerunt menti non esse eas à Deo, sed esse à maligno spiritu: & dant animae discretionem spirituum, ut intelligat quae sit cogitatio secundum Deum, & quae sit ex diabolo. Ut autem scias esse cogitationes, quas immittit diabolus in cor hominum: vide in Evangelio quod scriptum est: Cum autem immisisset, inquit, diabolus in cor Judae Iscariotis, ut traderet eum. Sunt ergo hujusmodi cogitationes quae à daemonibus injiciuntur in cordibus hominum. Sed quia non deest divina providentia: ne forte per hujusmodi importunitatem turbaretur libertas arbitrii, & non esset justa causa iudicii: idcirco benignis angelis & amicis potestatis, hominum cura mandatur: ut cum deceptores quasi vulpes incurfare ceperint hominem, dextris eum auxiliis sublevent. Et ideo dicitur: Capite nobis vulpes pusillas. Complementer sane cum adhuc pusillae sunt, capi eas mandat & comprehendit. Dum enim cogitatio mala in initiis est, facile potest abjici à corde. Nam si frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam sine dubio ad consensum, & post consensum intra cor suum confirmatum, certum est quia ad peccati tendat effectum. Dum ergo in initiis est, & pusilla est, capi debet & abjici: ne si adulta fuerit, & inveterata, jam non possit expelli. Denique & Judas initium mali habuit in amore pecuniae. Et haec fuit illi vulpes pusilla. Sed ab hac cum videret Dominus Judae animam quasi florentem vineam laedi, capere eam volens, & abjicere ex eo: commisit ei pecuniae loculos, ut possidens, à cupiditate quod amabat cessaret. Sed ille utpote habens sui arbitrii libertatem, non est amplexus medici sapientiam: sed indulsit semetipsum illi magis consilio quo exterminabatur anima sua, quam quo sanabatur. Si verò haec de Christo & Ecclesia intelligamus, sermo videbitur ad doctores Ecclesiae dirigi, & mandari eis de captione vulpium exterminantium vineas. Vulpes autem perverfos doctores haereticorum dogmatum possumus intelligere, qui per argumentorum calliditatem seducunt corda innocentium, & vineam Domini exterminant, ne florent in fide recta. Datur ergo praecipuum doctoribus Catholicis: ut dum adhuc pusillae sunt istae vulpes, & nondum plures animas deceperunt: sed initium habet prava doctrina, arguere hos, & refrenare festinent, & verbo veritatis contradicentes, revincere, & capere hos assertionibus veris. Si enim permanserint in principiis, & indulerint, sermo eorum sicut cancer serpit, & fiet insanabilis: ut multi inveniantur qui decepti ab eis, pugnare jam pro ipsis incipiant, & defendere suscepti erroris auctores. Sic ergo pusillas dignum est vulpes capere, & dolosa haereticorum sophismata, in ipsis statim initiis, veris assertionibus confutare. Ut autem utriusque expositionis nostrae evidenter clarescat assertio, congregemus ex divinis voluminibus, sicut animalis hujus mentio facta est. Invenimus ergo in sexagesimo secundo psalmo de impiis ita dici: Ipsi verò in vanum quaesierunt animam meam: introibunt in inferiora terrae, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. Sed & in Evangelio secundum Mattheum Salvator ad

scribam, qui dicebat ei: Magister, sequar te quocumque ieris; Respondit: Vulpes foveas habent, & volucres caeli nidus ubi requiescant: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Similiter autem & in Evangelio secundum Lucam, ad eos qui dixerunt Domino: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Respondit Jesus: Euntes dicite vulpi huic, Ecce ego ejicio demonia, & sanitates perficio hodie & crastina, & in die tertia consummabor. In libro quoque Judicum Samson, cum uxor quae erat ex genere Philistinorum ei fuisset ablata, ait ad patrem ejus: Innocens sum ego hac vice ab Allophylis, quia faciam vobiscum mala. Et abiit Samso, & accepit trecentas vulpes, & accepit lampades, & ligavit caudam ad caudam, & posuit lampadem unam inter duas caudas vulpium, & accendit ignem in lampadibus, & emisit eas per messes Allophylorum: & incendit omnes messes eorum, & stipulas eorum, & vineas eorum, & oliveta eorum. Adhuc autem in secundo libro Esdrae, ubi Tobias Ammanites impeditur adificationem eorum qui de captivitate redierant, ut adificarent templum & murum, ait ad Allophylas: Nunquid isti sacrificabunt, aut comedent immolata in hoc loco? Nonne ascendent vulpes, & destruent murum ipsorum quem ex lapidibus adificavit? Haec sunt interim quae ad praesens nobis ex scripturis divinis occurrere poterunt: in quibus animalis hujus memoria facta est, ut ex his sapiens quisque lector prudenter possit conicere: si apta usi sumus expositione in his quae proposita sunt nobis ad explanandum id quod ait: Capite nobis vulpes pusillas. Et quamvis operosum sit singula quae exempli causa assumpsimus explanare: tamen quae poterimus, breviter contingemus. Et primo de sexagesimo secundo psalmo videamus, ubi cum iusti animam persequerentur impii, ille psallebat, dicens: Ipsi autem in vanum quaesierunt animam meam, introibunt in inferiora terrae: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. In quo utique ostenditur, quod vanis & inanibus verbis pravi doctores decipere volentes animam iusti, introire dicuntur in inferiora terrae: terram utpote sapientes, & de terra loquentes: atque in inferiora ejus, id est, in profundum stultitiae descendentes. Puto enim quod hi qui carnaliter vivunt, quia sibi ipsis tantummodo nocent, terra esse & in terra habitare dicuntur. Hi verò qui terrenis & carnalibus sensibus scripturas intelligunt, & alios ita docendo decipiunt, pro eo ipso quod argutias quasdam & argumenta carnalis & terrenae sapientiae concinnant, in inferiora terrae dicuntur ingredi. Vel certe quia gravius delinquant, qui terrena docent, quam qui ita vivunt: eis futura poena etiam gravior imminet: idemque ipsi in manus gladii tradendi prophetantur, illius fortassis flammei & versatilis. Quomodo autem & partes vulpium fiant, videamus. Omnis anima aut pars est Dei, aut pars est cuiuscumque qui accepit potestatem super homines. Nam cum divideret altissimus gentes, & dispergeret filios Adam, statuit fines gentium, secundum numerum angelorum Dei, & facta est portio Domini Jacob. Cum ergo constet unamquamque animam, aut in parte Dei, aut in parte esse alterius cuiuslibet: quoniam quidem per arbitrii libertatem possibile est unumquemque ex parte alterius transire, vel ad partem Dei, si melius (ipso juvante) elegerit: vel si nequius, ad demonum portionem: hinc horum mentio habetur in psalmo: Qui in vanum quaesierunt animam iusti, partes erunt vulpium: veluti si diceret, & pessimorum & nequissimorum demonum partes erunt, ut unaquaeque maligna virtus & dolosa, per quam deceptiones & fraudes fallae scientiae introductae sunt, figuratim vulpes appellentur: & hi qui in hunc errorem deducuntur, & nolunt acquiescere sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & doctrinae quae secundum pietatem est, sed decipi se patiuntur à talibus: isti talium partes vulpium fient, & introibunt cum eis in inferiora terrae. Ipsi sunt & illi, in quibus secundum Evangelium vulpes istae quas supra memoravimus, foveas habere dicuntur, in quibus filius hominis non habet ubi caput suum reclinet. Herodem quoque vulpem nominatum, pro fallaci calliditate credendum est. Nam de Samson qui trecentas vulpes cepisse, & colligasse per caudas, atque interjecisse lampades ardentis in medio caudarum, atque immisisse per messes Allophylorum, & incendisse eas cum stipulis & oliveti, vincique memoratur: valde mihi difficilis forma hujus, vel figurae videatur explanatio. Tentemus tamen aliqua ex his pulsare pro vitiis: & ponamus (sicut expositio nostra in superioribus con-

tinet) vulpes esse fallaces perversosque doctores. Hos Samson (qui veri & fidelis imaginem tenet doctoris) capiens verbo veritatis, caudam ad caudam colligit, id est, adversantes sibi, & diversa à se invicem sentientes, docentisque confuter: atque ex ipsorum verbis propositiones collectionesque accipiens, in Allophylorum segetem, ignem conclusionis emittat: & ex propriis eorum argumentis, omnes eorum fructus atque vineas & oliveta pessimae generationis incendat. Sed & ipse numerus trecentarum vulpium, quae à semetipsis diversa & dissonantes erant, triplicem formam indicat peccatorum. Omne enim peccatum aut in facto, aut in verbo, aut in consensu mentis admittitur. Verum ne illud quidem quod in secundo libro Esdrae scriptum diximus, pernitens omittendum est. Ubi cum edificarentur sancta sanctorum: id est, cum fides Christi & sanctorum eius mysteria conderentur, inimici veritatis, fideique contrarii (qui sunt sapientes hujus saeculi) videntes absque arte grammatica & peritia philosophica confingere muros Evangelii, velut cum irrisione quadam, dicunt perfallere hoc posse destituti calliditate sermonum per astutas fallacias & argumenta dialectica. Haec interim (quantum brevitatis potuit pati) de assumptis exemplis dicta sufficiant. Nunc jam ad propositum revertamur. Videatur ergo in Cantico Canticorum praecipuum dari ab ipso, amicis sibi virtutibus: ut capiant & arguant contrarias potestates, quae insidiantur animabus hominum, ne exterminent eorum initia fidei, floremque virtutum sub specie secretae alicujus, & occultae sapientiae: quae quasi vulpes in foveis: ita in his hominibus qui semetipsos ad haec scandalum praeberunt, delitescunt: & quo facilius confutari possint & argui, dum parvae sint vulpes ipsae, & initia habent pessimae persuasionis, capi jubentur. Nam si forte creverint, & majores fuerint vulpes effectae: jam nequeant ab amicis spon-

si, sed ab ipso fortassis sponso solo capi poterunt. Sed & sancti quique doctores & magistri Ecclesiae, sicut acceperunt potestatem calcandi super serpentes & scorpiones: ita accipiunt potestatem etiam capiendi vulpes. Sic enim data est potestas eis super omnem virtutem inimici. Una sine dubio ex ceteris inimici virtutibus est vulpes, quae exterminat vineas florentes: quaeque cum adhuc parva est, capi jubetur: sicut & in centesimo tricesimo-septimo psalmo, beatus dicitur qui tenet & allidet parvulos Babylonis ad petram, nec permittit sensum Babylonium crescere in semetipso, & augeri: sed cum inest initiis, allidit eum, & tenet ad petram, tunc enim facile perimitur. Sic ergo ordo explanationis percurrat. Capite vulpes nobis pusillas, quae vulpes exterminant vineas florentes. Quod autem dicit, nobis: hoc est, mihi sponso & sponsae, vel certe mihi & vobis, qui estis sodales mei. Potest autem & ita accipi, Capite nobis vulpes, & post distinctionem dici, pusillas exterminantes vineas, ut pusillas non tam ad vulpes quam ad vineas referamus, ut videantur pusillae quidem vineae exterminari posse, id est, parvae quaeque anima, & initia habentes, non firmæ & robustae laedi posse à contrariis potestatibus: sicut in Evangelio dicitur: Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis: in quo ostenditur quia scandalizari non potest grandis & perfecta, sed pusilla & rudis anima: sicut in psalmo dicitur: Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum. Simili ergo exemplo potest videri, quod pusilla quaeque vinea, incipiens videlicet anima, possit à vulpibus: id est, malignis cogitationibus, vel pravis doctoribus laedi: perfecta vero & valida non possit. Sed si capiantur à bonis doctoribus vulpes istae, & abjiciantur ex anima, tunc proficiet in virtutibus, & floreat in fide, Amen.

Quatuor Homiliarum in Cantica Canticorum, finis.

IN JOB PROEMIUM.

JOB, qui dolens vel magnus interpretatur, figuram Christi portavit. Amici verò ejus figuram haereticorum tenent, qui sub nomine Christi, Christum blasphemant & impugnant, Helium verò & Baalam, typum praefertur Philosophorum, qui à foris: id est, extra fidem positi, insidiantur Ecclesiae Dei. Isti enim pretiosa nomina sibi imponunt, quasi ipsi sint aeternum Dei, vel praecipui speculatores ejus. Eliphaz enim in Latino, Dei mei aurum sonat. Baldad, praecipuus vetusta secreta. Sophar speculator, vel buccina. Hi enim elati pro eo quod per naturam bonum, aliqua sapienter praedicabant, apud se jactantes severitatem, cum assertores sint mendacii: quia de Christo, non ut divinitati ejus, sed ut ipsorum impietati competit, sic loquuntur.

COMMENTARIUM IN JOB.

Caput I.

VIR erat in terra Huz, nomine Job. Et erat vir ille simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo. Nati sunt ei septem filii, & tres filiae. Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum: quingenta quoque iuga boum, & quingente asinae, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. Et ibant filii ejus, & faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis. Cūque in orbem transisset dies conviviis, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos: Tom. V.

consurgensque diluculo. Huz & Buz filii fuerunt Nachor fratris Abraham, filii Melchae fororis Sarae, de cujus stirpe Job descendit. Non sicut quidam falso suspicantur de genere cum fuisset Esau. Nam Eliphaz nascitur de Ada uxore Esau, & regnavit in Theman, unde etiam Themanites dicitur. Theman, Idumaea, Seir Daroma, Zebora, regio fuit Esau. Habitat autem Job vir magnus in terra Huz, quae interpretatur consiliatrix. Sed & Elchana, qui interpretatur possessio Dei, pater sanctissimi Samuelis Prophetae, vir unus appellatur: non enim per diversa mobilis atque instabilis ferebatur, sed firmus atque inconcussus persistens, vir unus erat: & idcirco in monte Ephraim fructifero morabatur. V u j